Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Thelogica universa - Ettenheim-Münster 107 - Tom. I

Cartier, Gallus

[S.l.], 1745

Praeloquium

urn:nbn:de:bsz:31-111007

Visual Library

Tomi Primi

Theologia Universalis

~~Tomi Primi de locis Theologicis~~

Tractatus Tertius.

De Ecclesiâ Catholicâ

~~ejusdemque auctoritate.~~

Prælogium.

mit Cicero antiq. Gebalty

1.

Expensâ prioribus binis tractatibus S. Scripturæ et Traditionis præcipuorum, licet, ut vocant, mortuorum, locorum Theologicorum naturâ et auctoritate; modò ordinis et dignitatis ratio postulat, ut de Ecclesiâ, inter vivos, ut ajunt, locos Thelogicos præcipuò tractationem ineamus.

1. Ecclesia igitur, si nominis Etymon consideres, idem significat ac vocationem seu convocationem, ergo Ecclesia est convocatorum coetus, imò etiam ipse locus, in quo coetus ide fit; hoique grammatical et generali sensu, quilibet conventus seu congregatio etiam civilis ac politica Ecclesia nuncupari potest. Sic Psal. 25. v. 5. David ait: Odivi Ecclesiam malignantium. et Psal. 106. v. 32. Exaltent eum in Ecclesia plebis. Quo postremò loco Ecclesia pro conventu civili et politicò usurpatur.

2. At verò usu Ecclesiasticò, et in sensu, quem modò adoptamus, Ecclesia significat fidelium Societatem seu congregationem. Cùm autem inter fideles, quorum Societas constituit Ecclesiam, alii sint in termino seu comprehensores,

2 qui jam æternâ beatitudine perfruuntur, alii viatores, qui hîc in terris militant; alii post hanc vitam in poenis purgatorii aliquamdiu detenti, ut Justitiæ divinæ omninò satisfaciant; hinc Theologi Catholici triplicem distinguunt Ecclesiam, vel ut rectiùs dicamus, tripliem ejusdem Ecclesiæ Statum. Primum Statum vocant Ecclesiam triumphantem, alterum Ecclesiam militantem, tertium denique Ecclesiam patientem. Postremi duo non erunt perpetui, at prioris ævum erit sempiternum, et ad ipsum tanquam ad finem ultimum reliqui duo referuntur.

3. De solâ Ecclesiâ militante hîc nobis agendum proponimus, de reliquis duabus enim alibi occurret occasio disserendi. Ecclesia militans igitur spectanda est, quasi vivum corpus, quod Christo ut capite, fidelibus tanquam membris, et fide, Spe, atque Charitate quasi animâ fidelibus vitam spiritalem inspirante constat. Unde Apostolus colos. c. i. v. 18. Christum vocat Caput corporis Ecclesiæ, et ibidem v. 24. Ecclesiam esse Christi corpus, scilicet mysticum, affirmare non dubitat. Quapropter etiam ad Rom. c. 12. v. 5. de fidelibus sic loquitur: Ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. et alibi passim, ut 1. Cor. c. 10. v. 17. ibid. c. 12. v. 12. et 27. Ephes. c. 4. v. 16.

4. Tanta est autem analogia inter corpus Ecclesiæ mysticum et naturale corpus humanum, ut illius essentia et pro-

8. 6.

prietates ex isto facilè intelligi possint. 3.
Primò quidem, quemadmodum corpus humanum variis constat membris, tum inter se invicem, tum cum suo capite colligatis et intùs animâ vegetatis, quæ simul unum corpus efficiunt, et in quæ caput influat, necesse est: sic Ecclesiæ corpus variis constat membris, et ejusdem fidei professione, et eorumdem Sacramentorum communione inter se invicem, et cum suo Capite Christo colligatis, quæ simul unum corpus unamque Societatem efficiunt, in quam Christus, ut caput, influit. Anima, quæ hujusce corporis membris vitam inspirat, sunt dona Spiritûs Sancti, interquæ præcipuum locum tenent Fides, Spes, et Charitas. Vinula exteriora, quibus Ecclesiæ membra inter se colligantur, sunt ejusdem fidei professio exterior in eâdem communione.

Deinde ut in corpore humano varia 5.
membra diversis muneribus atque officiis funguntur; ita Ecclesiæ membra, quorum alia sunt oves, alia summi capitis Christi vicem gerentia, sunt ovium Pastores; quorum etiam alii sunt aliis superiores, atque inter omnes supremus unus, Romanus nempè Pontifex, ut subordinationis ordo servetur.

Præterea, quemadmodum in corpore 6.
humano ea sola membra sunt viva, quæ ab animâ vitam jugiter accipiunt, et in quæ caput influit. Sic ea sola Ecclesiæ membra sunt viva membra, in quæ per gratiam suam Christus influit, et quæ

4 quasi animâ Ecclesiæ informantur. Cùm autem
illa anima potissimùm consistat in Fide,
Spe, et Charitate, quæ virtutes à se invicem
sejungi possunt; hinc fit, ut aliquis esse
possit animæ Ecclesiæ particeps, vel minùs
perfectè et inadæquatè, ut ajunt, id est,
quoad solam fidem, vel perfectè et ade-
quatè, quoad fidem scilicet, Spem, et
Charitatem simul. Porrò à Charitate,
quæ est nobilior pars, ex Apostolo dicente:
manent tria hæc, Fides, Spes, Charitas,
major autem horum est Charitas. Eccle-
siæ membra denominari solent viva si
adsit, mortua verò et putrida, si absit.
Itaque membra Ecclesiæ, in quibus domi-
natur cupiditas, non Charitas, inter mem-
bra mortua et putrida tamdiù computan-
tur, quamdiu in eô statu remanent, li-
cèt aliquatenùs fortè vitam participent,
quoad fidem scilicet. Sed quia tum eo-
rum fides est quoque mortua, seu Chari-
tate destitutâ, nihilominùs dicuntur
membra mortua. Verùm de his plura
suô locô.

7 Cæterùm hic apprimè notatum vo-
lumus, nos Ecclesiam militantem modò
non spectare secundùm animam suam,
sed secundùm quod est corpus visibile
atque prout capite et membris visibili-
bus constat; sub quo nomine non
modò ipsa Ecclesia in se spectata, sed
et Curiæ, ut quæ et ipsam repræsen-
tant, sed Romanus Pontifex ut po-
te caput ipsius, etiam veniunt. Unicè
ergo hoc de Ecclesiâ Tractatu tres

locos Theologicos ab Ecclesia rempe, Conciliis, et Romano Pontifice eorumque auctoritate petitos expendere animus est; solitam hactenus tractandi methodum sectaturi.

Quinque igitur erunt hujus tractatus capita. In quorum Primo, quid nominis quid rei sit Ecclesia militans investigabimus. In Secundo Notas illius seu characteres expendemus. In Tertio illius auctoritatem in rebus ad religionem pertinentibus exponemus, ubi de Conciliis nobis erit sermo. In Quarto de illius membris disseremus. Et in Quinto denique de illius capite Romano Pontifice tractabimus.

Q. n. p. 7